



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

**Parisiis, 1644**

Vita Ivlii Papae II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15644**

P II P A P Æ I I I. V I T A. 65

1503. xv. Kalendas Septembris, cum sedisset annos vn-  
decim & dies octo. Sepultus est in sacrario sancti Petri.



ANNO  
CHRISTI  
1503.

V I T A  
P I I P A P Æ I I I.

**P**I V S I I I. antea Franciscus Piccolomineus appella-  
tus, Pii II. ex sorore nepos, factus est pontifex x. Ka-  
lendas Octobris, anno Christi redemptoris 1503. tempore  
Maximiliani imperatoris. Cæsar dux Valentinus a morbo  
illo quem ex sumptione veneni contraxerat, liberatus, co-  
acto duodecim millium armatorum agmine, conclaue  
quo patres ad futuri pontificis comitia habenda congre-  
gati erant, obsederat: verum populi seditione, & Gallo-  
rum atque Hispanorum intercessione, Vrbe excessit.  
Cumque paulo post ad deosculandos noui pontificis pe-  
des rediisset, Vrbsini illum armis adorti sunt, postque ma-  
gnam cædem vtrunque commissam, Valentinus iussu pon-  
tificis viuis in arcem Æliam perducitur. Ex sæuissimo  
vlcere, quod non sine suspicione superilliti veneni crus  
exederat, pontifex ætatis annum agens quartum & sexa-  
gesimum interiit xv. Kalendas Nouembris, & sepultus est  
prope auunculum in Vaticano, cum sedisset dies tantum  
vigintifex.



ANNO  
CHRISTI  
1503.

V I T A  
I V L I I P A P Æ I I.

**I**V L I V S, antea Iulianus de Ruuere nominatus, Sixti IV. Iulius quã-  
do pontifex  
factus.  
lex fratre nepos, episcopus Carpentoraetensis, & car-  
dinalis sancti Petri ad Vincula, contra Alexandri ponti-  
ficis consilium defuncto Pio III. subrogatus est tertio Ka-  
lendas Nouembris, anno Domini 1503. tempore Maximi-  
liani imperatoris. Dixerat enim adhuc viuens Alexander,  
ab eo esse cauendum, vt olim Sylla a male præcincto puero  
Iulio Cæsare. Valentinum ducem, quem Pius custodia  
mancipauerat, ea conditione dimisit, vt Cæsena & Fori  
Liuii castra ecclesie redderet. Dimissus pro suo merito in  
*Concil. Tom. 34.*



Iulius quæ  
bella gessit.

Concilia-  
bulum Pi-  
sanum.

Iulius li-  
beratis ec-  
clesiasticæ  
studiosissi-  
mus.

Obitus  
Iulii.

Hispania glande traiectus occubuit. Neptem ex sorore Marco Antonio Columnæ desponsauit. Cumque ad restituendum statum ecclesiasticum animum conuertisset, Ioannem Bentiuolum Bononiæ violentum inuaforem fugauit, initoque cum principibus Christianis fœdere contra Venetos, latam in se anathematis sententiam ob Arimini & Rauennæ iniquam detentionem parum curantes, exercitum mouit, eosque feliciter subegit. Ducem Ferrariæ propter occupatas Salinas excommunicatum bello profligauit. Mutinam atque Mirandulam Gallico præsidio munitam expugnauit. Cumque ea de causa schismatici quidam cardinales Conciliabulum Pisenum indixissent, atque ad illud Iulium pontificem velut periturum citari procurassent, eiusdem Iulii auctoritate congregata est Romæ in Laterano vniuersalis & œcumenica Synodus, qua actis prædicti Pisani Conciliabuli annullatis & reprobatis, rex Galliæ & Florentini vna cum schismaticis cardinalibus dira anathematis sententia percussi fuerunt. In hac rerum perturbatione contra Gallos ab Hispaniæ & Angliæ regibus auxilium & subsidium implorauit & obtinuit. Venetorum & Heluetiorum copiis auxiliaribus fretus, omnem Galliarum exercitum Italiæ finibus eiecit. Maximilianum Sfortiam ducatu Mediolanensi restituit. Bononiam a Bentiuolis occupatam recuperauit. Et vt plura vno verbo dicam, libertatis ecclesiasticæ tam erat studiosus, vt frequenter diceret, indignum esse Leuitas seruire, quos ceteris imperare oporteret. Veri amantissimum fuisse fatebatur inimicus illius Alexander VI. cuius metu urbis aditu abstinebat. Multis periculis, plurimisque laboribus fractus, obiit Romæ ix. Kalendas Martii, anno Christi 1513. cum sedisset annos nouem, menses tres, dies viginti & vnum. Diuersis vicibus viginti octo cardinales creauit.

•••••  
\* CONCILIABVLVM TVRONENSE,  
CONTRA IVLIVM PONTIFICEM  
in Gallia celebratum anno Domini MDX.

ANNO  
CHRISTI  
1510.

NOTA.

Causa & \* Conciliabulum. ] De rebus in hac Synodo gestis Genebrardus li-